

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **M. Vitruvii ... De architectura libri decem**

**Vitruvius  
Frontinus, Sextus Iulius**

**Argentorati, 1543**

Cap. III

[urn:nbn:de:bsz:31-128539](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128539)

unt ita. Tigna tria ad onerum magnitudinem ratione expediuntur, & a capite à fibula coniuncta, & in imo diuarcata eriguntur funibus in capitibus collocatis, & ijs item circa dispositis erecta retinentur. Alligantur in summo trochlea, quam etiam nonnulli, rechamū dicūt. In trochleam induntur orbiculi duo, per axiculos uersationes habentes, per cuius orbiculum summum traicitur ductarius funis: deinde demittitur & traducitur circa orbiculi imū trochleæ inferioris, refertur autē ad orbiculū imum trochleæ superioris, & ita descendit ad inferiorē, & in foramine eius caput funis religatur. Altera pars funis refertur inter imas machinee partes. In quadris autem tignorū posterioribus quo loci sunt diuarcata, figuntur chelonā, in quæ conijciuntur fucularū capita, ut faciliter axes uersentur. Eæ fucule proxime capita habent foramina bina ita temperata, ut uectes in ea conuenire possint. Ad rechamum autem imum ferrei forfices religantur, quorum dentes in saxa forata accommodantur. Cum autem funis habet caput ad fuculam religatum, & uectes ducentes eam uersant, funis se inuoluendo circa fuculam extenditur, & ita subleuat onera ad altitudinem & operum collocationes.

DE DIVERSIS APPELLATIONIBVS MACHINARUM, & qua ratione erigantur.

C A P. I I I.

**H**ÆC autem ratio machinationis, quod per tres orbiculos circumuoluitur, trispastos appellatur. Cum uero in ima trochlea duo orbiculi, in superiori tres uersantur, id pentaspaston dicitur. Sin autem maioribus oneribus erunt machinee comparandæ, amplioribus tignorū longitudinibus & crassitudinibus erit utendum: & eadem ratione in summo fibulationibus, in imo fucularum uersationibus expediendum. His explicatis antarij funes ante laxi collocentur, retinacula supra scapulas machinee longe disponantur: & si non erit ubi religentur, pali resupinati defodiuntur, & circumfistucatione solidentur, quo funes alligentur. Trochlea in summo capite machinee ruenti contineatur, & ex eo funes perducantur ad palum, & quæ est in palo trochlea illigata, circa eius orbiculum funis indatur, & refertur ad eam trochleā, quæ erit ad caput machinee religata.

religata. Circum autem orbiculum ab summo traiectus funis descendat, & redeat ad fuculam, quæ est in ima machina, ibiq; religetur. Vestibus autem coacta fucula uersabitur, et eriget per se machinam sine periculo: ita circa dispositis funibus, & retinaculis in palis herentibus, ampliore modo machina collocabitur. Trochleæ & ductarij funes, uti supra scriptum est, expediuntur.

SIMILIS SUPERIORI MACHINÆ, CUI COLOSOICOTERA TUTIUS COMMITTI POSSUNT, IMMUTATA DUMTAXAT FUCULA IN TYMPANUM. CAP. IIII.

SIN autem colosoicoterâ amplitudinibus & ponderibus onera in operibus fuerint, non erit fucula committendum, sed quemadmodum fucula chelonij retinetur, ita axis includatur habens in medio tympanum amplum, quod nonnulli rotam appellant, Græci autem ἀμφίπευστρον, alij ἀμφίτροχον uocant. In his autem machinis trochleæ non eodem, sed alio modo comparantur. Habent enim & in imo & in summo duplices ordines orbiculorum: ita funis ductarius traiecitur in inferioris trochleæ foramen, uti æqualia duo capita sint funis cum erit extensus, ibiq; secundum inferiorem trochleam resticula circumdata & connexa, utraq; partes funis continentur, ut neq; in dextram, neq; in sinistram partem possint prodire. Deinde capita funis referuntur in summa trochlea ab exteriori parte, & deiciuntur circa orbiculos imos, & redeunt ad imum, conijciunturq; in summa trochleæ ad orbiculos ex interiori parte, & referuntur dextra ac sinistra ad caput summa trochleæ, circa orbiculos summos. Traiecti autem ab exteriori parte referuntur dextra ac sinistra tympanum in axe, ibiq; ut hereant colligantur. Tum autem circa tympanum inuolutus alter funis refertur ad ergatâ, & is circumactus tympanum & axem inuoluendo, funes qui in axe religati sunt pariter se extendunt, & ita leniter leuant onera sine periculo. Quod si maius tympanum collocatum, aut in medio, ut in una parte extrema, habuerit sine ergata calcantes homines, expeditiores habere poterit operis effectus.

FF 3 ALIVD